



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 110. Consalvus amissa Ferdinandi gratia omnibus officiis spoliatus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

stulabatur, quod conciliatore Papiensi Sæcul. XVI.
 Cardinale societatem cum Papa inierit, A. C. 1506.
 quin etiam oblatum sibi a Papa Eccle-
 siastici exercitus imperium acceptavit,
 ut tam Bononiam, Joanne Bentivolio
 inde depulso, quam Bononienses a Papæ
 imperio avulsos rursus Ecclesiæ ditio-
 nibus adjungeret; III. In simulaba-
 tur etiam, quod is cum Columnensibus
 amicitiam restaurare voluerit, ac pro-
 pterea suam filiam Prosperi Columnæ Fi-
 lio junxerit, ut potentissimis hujus fami-
 liæ amicis sibi conciliatis parta tueri,
 atque adversantis fortunæ casus sibi
 jamjam imminentes securius eludere
 posset.

§. CX.

*Consalvus amissa Ferdinandi gratia
 omnibus officiis spoliatus.*

Hiscæ querelis commotus animo Fer-
 dinandus Barcinonem contendit, ac Marian. l. 28
 classem quarta Septembris die conscendit, et 29.
 comitantibus eum Germana Regina
 sua Conjuge, utraque Neapolis Regina,
 ac innumeris ferme Proceribus. Con-
 salvus, cum Regem Barcinone abiisse in-
 telligeret, & ipse Neapoli discedens, ma-
 ri ventis inflato, Cajetam terrestri itine-
 re profectus est, ubi triremes præstola-
 turus substitit, inde vero die vigesima
 Septem-

Sæcul. XVI. Septembris Ferdinandum excepturus,
A. C. 1506. Genuam pervenit, in qua urbe idem de
 morte Castellani Regis nuncium accepit; cum autem hujus Regni administrator, rectorque nominatus esset, in hac rerum vicissitudine suæ auctoritatis præsentiam necessariam fore existimabat, in exigua tamen mora periculum abesse ratus, Neapolis negotia prius discutere, eoque iter prosequi constituit. Ergo Confalvus Regem suum Neapolim sequitur, in fausto tamen felicitatis, ac splendoris sui exitu, quippe Ferdinandus propriæ auctoritatis tenacissimus, ac suspiciosus, criminationibus adversus strenuum hunc Belliducem delatis faciles nimium aures præbuit, illumque Pro-Regis dignitate, exercitusque imperio exuit, ac veluti privatum hominem in Hispaniam secum redire compulit. Nihilominus Confalvus inimicæ fortunæ invidiam tam invicta animi constantia pertulit, ut non minorem sibi moderatione sua gloriam, quam partis de hostibus victoriis conciliaret, quamvis, ita jubente Ferdinando, reliquos vitæ suæ dies otiose, sine officio, & sine præmio transigere cogere, omnesque, quascunque peteret gratias, illi denegarentur, nec aliud a Rege suo grati animi signum reciperet, quam quod ei defuncto Ferdinandus magnificis prorsus exequiis parentaret.